176

EXEQVIAS
VIRI
Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimique
DOMINI
GEORGII BEHMII,
Consulis apud Thorunenses Gravissimi, Meritissimi,
Anno CIƆIƆCCXIII. D. 25. Mens. Octob.
rebus mortalium
Morte inopina, beata tamen
erepti,
Pio quod dicunt cultu condecorare
iustisque lacrymis ex debita observantia prosequi
voluit, debuit
HENRICUS REICHEL Gym. Coll.



THORUNII,
Impressit Ioan. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus

QUam nihil prorsus miseri caducæ
Hospites terræ? nimium fugaci
Sæpe credentes dubiæque sorti,
Inquit Jobus. [*
Calculum Psaltes Veteris Propheta
Codicis David (**) superaddit, ipsâ
Paginâ sacris variisque dictis
testificante.
Vera quid multis satago probare?
Indies ingens Adamigenarum
Monstrat eventu (satis est!) caterva
Hic & ubique.
Regium sumit Diadema mortis
Dura crudelis manus, atque egenis
Pauperum tectis, simul ac jubetur,
Parcere nescit.
Non juvat quicquam Pietas, nec ullus
Numinis cultus, neque liberare
Jura noverunt sacra, nec Galeni
Dogmata Magni.
Sive

(*) C. VII. 6. 7. C. IX. 25.
(**) Ps. XXXIX. 6. 7. it. XC. 5. 9.

Sive quis multas peragrare terras
Barbaris mixtas populis studebit,
Sive se Ponti trepidum dolosis
credidit undis.
Quemlibet tandem Lybitina, membris
Corporis cogit positis, statutâ,
Quam DEUS novit metuendus, horâ
Ire sub umbras.
Ergo, cum nil sit stabile atque firmum,
Cumque mors atrox pede pulset æquô
Omnium portas, vigilare cuncto
Tempore fas est.
Hæc probe nôsti, Pie Consul Urbis
Inclutæ BEHMI, quoniamque nôras
Corde spernebas vigilante mortem
nocte dieque.
Quæ TIBI quamvis inopina venit,
Attamen conspersæ animæ nocere
Haud potest quicquam roseô suävis,
Sangvine Christi.
Lætus hem gestis sine fine vitæ,
Atque Sanctorum frueris beato
Semper amplexu Seraphimque septus
undique turba.
Faxit

Faxit Æternum quoque Te sequamur
Numen è terris ubi nos migrare
Jusserit lætos, nitidi tenentes
Gaudia Cœli.
Est quidem multis Tua mors dolenda,
Atque vix siccis memoranda verbis,
Dum proba inprimis Probus Ipse jura
sæpe dedisti.
Interim Candor, Tua Virtus atque
Æqua Mens, cûivis satis ac abunde
Nota, apud cives celebrata durat
Tempore quovis



3358